

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Incarnatio s cum fonte primo

Verbi incarnatio hoc contulit
facienda quod facta et sacramentum
salutis humane in nulla unquam
antiquitate cessauit. Quod
predicauerunt apostoli, hoc
annunciauerunt prophete. Nec sero est
impletum quod semper est creditum,

nec minus adepti sunt qui in illud
crediderunt promissum quam qui
susceperunt donatum.

Leo papa ibidem (in sermone).

Verbi enim incarnatio hoc contulit
facienda, quod facta, et sacramentum
salutis humanae in nulla unquam
antiquitate cessauit. Quod
praedicauerunt apostoli, hoc
adnuntiauerunt et prophetae, nec sero est
impletum, quod semper est creditum.
Sapientia uero et *benignitas Dei* hac
salutiferi operis mora capaciores nos
suae uocationis effecit, ut quod multis
signis, multis uocibus, multisque
mysteriis per tot fuerat saecula
nuntiatum, in his diebus euangelii non
esset ambiguum, et natiuitas Saluatoris,
quae omnia miracula omnemque
humanae intellegentiae erat excessura
mensuram, tanto constantiorem in nobis
gigneret fidem, quanto praedicatio eius
et antiquior praecessisset et crebrior.
Non itaque nouo consilio Deus rebus
humanis, nec sera miseratione consuluit,
sed a *constitutione mundi* unam
eamdemque omnibus *causam salutis*
instituit. Gratia enim Dei, qua semper est
uniuersitas iustificata sanctorum, aucta
est Christo nascente, non coepta, et hoc
magnae pietatis sacramentum, quo totus
iam mundus impletus est, tam potens
etiam in suis significationibus fuit, ut
non minus adepti sint qui illud
credidere promissum, quam qui
suscepere donatum.

Leo Magnus, *Tractatus septem et
nonaginta*, 23, 4 (CCSL 138, A.
Chavasse ed., pp.106-7, ll.88-108).